



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Sigismundus Rex. 1. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

I. Maii. VITÆ SANCTORUM. 279
ingredi in sanctiora templi adyta uni illi
liceret; & vel oram vestis ejus prehen-
dere, partem felicitatis ducerent. Ita
rem Hierosolymæ Christianam cùm
XXX. annos administrasset, anno partæ
salutis LXIII. vitæ XCVI. è templi ve-
stigio dejectus, & inter preces, quas pro
hostibus suis faciebat, fuste fullonis cæ-
sus est: ut jam me dubium uterque hic Sol
faciat, orbine luxerit, an Cælo occiderit
pulchrior. Ex Brew. Rom.

Nos quoque timore Domini crucifixos
oportet hîc omnibus non solum carnalibus
vitiis, verum etiam ipsis elementis mor-
tuos esse; illuc habentes oculos animæ nostræ
defixos, quò nos speramus momentis sin-
gulis migraturos. Cassian. I. 4. de Inst.
Renunc. cap. 35.

S. SIGISMUNDUS REX.

I. Maii.

Q uoties noverca ex patre vitricum fe-
cit: Sanè SIGISMUNDUM Bur-
gundionum Regem eò artibus suis im-
pulit, ut filium Sigericum, quasi patrem
regno exuere cogitasset, vitâ ipse exue-
ret. Verum aspersas filii crux manu-
nam multis lacrymis, ut quem
sic pœniteret, pœnè innocens dici pos-
set. Monitus tamen ab ignoto nescio
quo sene, & suam potius vitam, quam
filii (qui cælo frueretur) mortem defere

S 4

jus-

280 VITÆ SANCTORUM. 2. Maii.
jussus, ad D. Mauritii tumulum abiit, causamque illi commendavit; ageret hanc, ut suam olim apud D E U M : adesse fatentem reum: supplicia precari, non deprecari: s̄aviret nunc etiam pater Deus, modo olim judex parceret: quam pœnam tam nocens filius meruisset, tunc se monstrasse, cùm innocentem occideret. Lacrymis non posse satis elui manus; sanguine posse, sed suo; huic fundendo jam se initium dedisse, cùm filii funderet: quem male libasset, rectius litaturum fese. Et verò damnatus voti est: bello enim in annum D. XXVI. à Clodomiro Gallorum Rege petitus, captusque, & capite plexus, in puteum est abjectus. Sed tam ignobile sepulchrum pœnitentis illustrius cantu suo luminibusque cælum fecit; quin ægri magno numero morti jam proximi sanitatem inde suam hauserunt, itaque quam uni eripuit vitam, longè plurimis S I G I S M U N D U S restituit.

Ex Gregor. Turon.

Ascendat homo adversum se tribunal mentis sua: & constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis anime consentis per lacrymas profundat. S. Aug. lib. 50. Hom.

S. ATHANASIUS EP 2. Maii.

Non raro pueritia toti vita præludit. Ita ATHANASIUS Alexandriæ inter